

impenderet? Quum igitur in hoc divinarum rerum studio atque contemplatione humanæ vitæ felicitas sita sit; consequens est, ut de hac evangelica paupertate, quæ nos ad hunc finem dirigit, breviter differamus.

Meminisse autem debemus, quod initio illa Salomonis verba, (a) *stultissimus sum virorum*, beato Francisco accommodavimus: nunc ego, paupertatis laudes prædicaturus, ea mihi accommodare volo, meque stultissimum profiteri, qui hanc provinciam susceperim, ut vos ad hujus virtutis amorem excitare velim. Scio enim, verum esse, quod ab insigni poëta dictum est, (b) homines per mare pauperiem fugere, per saxa per ignes. Quomodo ergo ad paupertatis amorem vos excitare potero, quam omni ratione homines remis velisque fugiunt? Quid enim aliud omnium ordinum homines quærunt? quid captant? quid adorant nisi argentum & aurum? Quas pelagi oras non attingunt? quæ litora intentata relinquunt, ut aurum quærant, qui ad inferos etiam descendere non metuerent, si ibidem aurum se inventuros sperarent?

Non enim mentitur ille, qui per prophetam dixit: (c) *animi usque ad maximum omnes avaritia student: a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum*. Hoc enim animo sunt sæculi sapientes, hoc litterati, hoc magni, hoc parvi, hoc inopes, hoc etiam pecuniosi. Rex namque ille Babylonix (d) capitis poenam indixit, si quis statuam suam auream adorare nolit. Instar mortis enim homines esse putant, aurum carere. An non ergo stultitiæ condemnandus sim, qui hunc tantum ignem oratione mea restinguere tentem? Et tamen si me patienter audiatis, fortassis multiplices virtutis hujus fructus audientes, in ejus saltem amorem & admirationem rapiemini.

§. III.

Ut autem, de quo paupertatis genere dicere instituam, intelligatis, triplicem esse paupertatem constat: alia enim paupertas corporis, alia spiritus, alia corporis & spiritus simul est. Corporis paupertas est, quam non voluntas, sed necessitas parit. Paupertas vero spiritus est, quæ in magna etiam opum affluentia illud implet, quod est a propheta dictum:

(a) *Prov. 30. 2.* (b) *Horat. L. I. Ep. 1. v. 46.* (c) *Jerem. 6. 13.* (d) *Daniel. 3. 6.*

Etiam: (a) *divitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Tertia vero corporis simul & spiritus paupertas est, quæ nihil possidet, & nihil concupiscit, quæ nec mundi possessiones habet, nec oblatas accipit. Hujusmodi autem paupertas exigit, ut sit vilis domus, vilis tunica, vilis mensa, vile stratum, & curta omnis suppellex, ac postremo omnia, quæ non modo ad corporis usum, sed etiam ad altaris ornamenta pertinent, paupertatem spirent, paupertatemque redoleant. Hoc igitur paupertatis genus beatissimus Franciscus ordinis a se instituti fundamentum esse voluit.

Quantopere autem vir sanctus hanc virtutem dilexit, nulla vis orationis consequi poterit. Primum enim quum ecclesiam ingressus illud Domini consilium audivisset, quo discipulos ad prædicationis officium (b) sine pera, sine zona, sine pecunia, sine virga, sine calceis, sine duplici tunica ire mandavit: hoc est, inquit, quod ego votis omnibus amplector & exquiro; statimque calceos, virgam & zonam, atque pecuniam a se repulit, simplicique & vili tunica contentus, & pro zona, fune præcin-

ctus, nihil aliud in vita possidere voluit. Quin & in morte hæc ipsa exuens, mundoque restituens, nudus, ut ex utero matris prodierat, in terram, communem omnium matrem, se projecit: adeoque hujus virtutis amore captus fuit, ut nemo inter avatos tanto amore pecuniam, quanto ille paupertatem, dilexerit: nemo aliorum divitiis tantum inviderit, quantum ipse, si quem forte mendicum villiori habitu indutum vidisset. Hanc virtutum reginam, hanc matrem, hanc sponsam, hanc dominam suam appellabat: quoniam eam indissolubili vinculo regi æterno desponsatam fuisse dicebat. Nullus autem illi cibus gratus erat, nisi qui paupertatis dulcedine condiretur. Unde a cardinalibus & episcopis aliquando invitatus, prius ostiatim panis frustula mendicabat, quæ cunctis principum dapibus ipsi dulciora erant.

Quid vero illud, quod quum cœnobii cujusdam vicarius, allegans penuriam fratrum, petensque, ut intrantium novitiorum aliquid reservare liceret, quo inopiæ fratrum consuleretur; vir sanctus, superni consilii non ignarus: absit, inquit,

H 4

a

(a) *Psal. 61. 11.* (b) *Matth. 10. 10.*

a nobis, frater carissime, ut pro quovis homine impie agamus in regulam. Malo te altare virginis gloriosæ nudare, quam necessitas id exiget, quam contra paupertatis votum, & observantiam evangelii aliquid vel modicum attentare. Gracius enim beatissimæ Virgini erit, ejus altaria nudari, quam evangelicam paupertatem, ab ejus filio nobis indictam, aliqua in re violare.

Denique fratribus in conclavi quærentibus, quæ virtus hominem cariorem redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat: paupertatem noveritis, fratres, spiritualem viam esse salutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem; cujus est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est evangelici agri thesaurus absconditus, (a) pro quo emendo, vendenda sunt omnia, & quæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda.

Nunc consequens est, ut videamus, quantum a philosophiæ, quantum veræ prudentiæ atque sapientiæ in hac pauperis vitæ institutione lateat: ut ita demum perspicere valeatis, hunc, qui se stultissimum virorum ap-

pellavit, summa sapientia præditum fuisse. Hujus enim rei tractatione animadvertere licebit, paupertatem hanc & ad veram sapientiam, de qua disseruimus, & ad omnia pæne virtutum officia aditum aperire, & omnibus vitiorum radicibus securim infligere. Atque utinam idem pater sanctissimus, qui multiplices virtutis hujus fructus, licet occultos, esse dixit, nobis eos patefacere voluisset! non dubito, quin multos ex vobis ad ejus amorem pellexisset. Nos tamen, pro ingenii nostri tenuitate, duodecim ejus fructus, enumerando magis quam amplificando, quam brevissime recensebimus, eorum vim & dignitatem studiosi auditoris cogitationi relinquentes. Horum autem priores, quæ animi bona hæc virtus pariat; posteriores vero, a quam tetræ & pestilentibus malis nos ea vindicet, declarabunt.

§. IV.

Principio igitur veræ sapientiæ studium, ut paulo superius ex D. Thomæ sententiâ definivimus, in continua rerum divinarum cogitatione positum esse diximus: ut videlicet homo in terra positus, calitum of-

(a) *Matth. 13. 44.*

officium imitetur, qui oculos suos in divinæ pulchritudinis contemplatione defixos semper habent, ut pius homo esse jam incipiat, quod futurus est. Hoc autem studium mentem requirit vacuam, & ab omnibus terrenis curis & cupiditatibus liberam. Hinc illud ex Psalmo: (a) *vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* Prius ergo vacandum, deinde videndum est. Hoc autem Ecclesiasticus exposuit, quum ait: (b) *sapientia scriba in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* Si igitur hæc proxima ad sapientiam via est; quid, quæso, magis homini ad eam consequendam, quam hæc rerum omnium nuditas atque paupertas conferet, quæ vilissimo habitu atque cibo contenta, qui sine ullo fere labore comparatur, liberam homini ad hoc studium vacationem & otium præbet? Nec enim negotiorum multitudo tempus, neque curarum sollicitudo mentem illi adiment, quo minus se totum huic studio addicere valeat. Hac autem de causa constat, sanctos illos anachoretas relictis omnibus deserta loca petivisse, ut se rotos sine ullo impedimento divinarum rerum

contemplationi impenderent. Hoc ipsum autem una paupertatis virtus præstat, quæ omnia curarum atque negotiorum, variorumque desideriorum examina a se procul pellit.

Jam vero eximiam illam abstinentiæ virtutem, ab Ægypti patribus tantopere celebratam, quam totius monasticæ vitæ fundamentum esse prædicabant, prudentissimus pater Franciscus paupertatis virtute complexus est. Quum enim abstinentiæ sit, omnes a se carnis delicias & blandimenta repudiare; quid aliud, quæso, voluntariæ paupertati, quam hoc ipsum, propositum est? Itaque quum vir sanctus paupertatis inopiam tantopere commendavit, hunc etiam singularem abstinentiæ fructum sub ea comprehendere spiritu docente prævidit. Nullas enim vera paupertas ciborum cupiditas, nullas hujusmodi agnoscit delicias.

Quid vero illud? quod eadem paupertas memoriam Dei excitat, & Christi Domini labores & passiones recolere frequenter facit? Quum enim vilis & aspera tunica latera mordet, quum insuavis cibus durumque stratum molestia corpus afficit, quum frigus urget, quum

(a) *Psal. 45. 11.* (b) *Ecli. 38. 25.*

quum spinæ atque offendicula nudos pedes pungunt atque cruentant; quid hoc tempore vir pius agat, nisi mentem ad Dominum suum in cruce pendentem attollere, ejusque exemplo se in perferendis laboribus confirmare & consolari? Magnum autem ad spiritualem ac religiosam vitam degendam adjumentum est, tot passim intra se habere stimulos, qui nos ad refricandam Christi Domini in cruce pendentis memoriam excitent.

Hæc eadem virtus facit, hominem pendere ex Deo, & per fidem, quod christiani hominis maxime proprium est, vivere, & a Deo necessaria ad vitæ usum expectare. Quæ quum per ejus providentiam sæpe recipiat, in Dei laudes & gratiarum actionem viscera & ora sua relaxat. Hoc enim grati animi officio fideles pauperes in initio nascentis ecclesiæ fungebantur. Qua de re sic Apostolus: (a) *ministerium hujus officii non solum supplet ea, quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino. Per probationem ministerii hujus glorificantes Deum in obedientia confessionis vestre.*

Jam vero quum sæpe Domi-

(a) 2. Corinth. 9. 12. 13.

nus, pauperum pater & amator, ubi omnia humana præsidia desunt, præter omnem spem eorum necessitatibus consulit; dictu mirum est, quantum hæc ejus paterna providentia eorum fidem, spem & caritatem augeat. Illo enim veluti miraculo confirmantur in fide: illa vero paterna ejus providentia, & in ejus dilectione mirabiliter accenduntur, & ad spem atque fiduciam in similibus angustiis retinendam magnopere excitantur. Intelligunt enim, nequaquam illis defuturum, qui sæpe alias eorundem necessitatibus consulit. Ex præteritis enim beneficiis futura sperare discunt: quod sanctis omnibus de more fuit. Hoc autem ejusdem beatissimi patris Francisci & sociorum ejus exemplo comprobare licet. Quum enim ii, confirmata jam paupertatis regula, iter in vallem Spoletanam facerent; itinerisque labore fatigati, quid ederent, non haberent: statim adfuit divina providentia. Nam subito apparuit homo afferens panem in manu, quem pauperulis Christi dedit; subitoque disparuit, incognitus unde venerit, aut quo iret. Cognoscentes autem hoc indicio pauperes fratres,

tres, supernum sibi adesse præsidium, magis dono liberalitatis divinæ, quam cibo carnis, sunt refecti. Insuper divina consolatione repleti, statuerunt firmiter, nullius inedia aut tribulationis impulsu a sanctæ paupertatis proposito resilire.

§. V.

His adde gratissimum quoddam sacrificium, quod voluntaria paupertas conditori suo semper offert. Non enim oves aut boves, sed corpus suum hostiam offert viventem, sanctam, Deo placentem: quod nuditate, inedia, & asperitate vitæ, ceterisque laboribus quotidie macerat, Deoque in sacrificium omni acceptione dignissimum offert. Quin & Ægyptiorum abominationes, hoc est, Deos gentium, in sacrificium Deo vero offert. Qui sunt autem gentium Dii, nisi aurum & argentum, voluptas atque mundanus honor? Hos igitur Deos evangelica paupertas vero Deo in sacrificium offert, quum eos propter ejus gloriam proterit atque conculcat.

Hæc sunt, fratres, atque his similia, ad quæ nos evangelica paupertas vehementer adjuvat. Quis autem verbis consequi possit, a quibus nos ea malis,

a quibus eripiat incommodis? Uno enim veluti ictu omnium fere inimicorum nostrorum capita jugulat, malorumque omnium radices evellit. Primum enim avaritiam & cupiditatem, quam Apostolus (a) malorum omnium atque hæresum radicem esse ait, penitus excindit. Pugnant enim inter se, cupiditas avaritiæ, & voluntaria paupertas. Quod enim illa cupit, ista contemnit; quod illa anxie desiderat, hæc constanter repudiat; quod illa supra Deum amat, hæc morte pejus odit. Aurum enim tamquam incendium fugit. Quid igitur optabilius, quid salutaris, quam ab hoc universæ terræ malleo liberari?

Voluptatum vero amor quam multa mala, quam multa crimina pariat, Cicero in eo libro, quem de senectute edidit, ex Architæ Tarentini sententia, longa oratione enumerat. Ab hoc igitur malorum seminario nos eadem paupertatis virtus eripit. Qui enim hanc virtutem tota mente colit, omnia aspera & vilia, & paupertatem atque asperitatem redolentia, pro delitiis habet: delicias vero, voluptuosa, delicata, mollia atque pretiosa,

(a) 1. Timoth. 6. 10.

fa, ut paupertati, quam unice-
caram habet, infesta, fugit
& horret. Sed hæc, fratres,
multis paradoxa & incredibilia
videbuntur. At sancti omnes
hac mente fuerunt, de quibus
scriptum est: (a) *inundationem
maris quasi lac fugent*. Christi
enim amor amara omnia miro
modo dulcia & suavia reddit.

Verum his duobus animæ
hostibus amor sui longe poten-
tior atque immanior est. Nul-
lum enim facinus, nullum cri-
men adeo tetrum est, quod
non ab hoc proprii amoris fon-
te dimanet. Ut enim amor Dei
omnium virtutum, ita contra
immodicus amor sui vitiorum
omnium origo est: ut ille spi-
ritualem Jerusalem, ita hic Ba-
bylonem adificat. Is enim, vel-
ut originalis peccati primoge-
nita soboles, totam pæne ejus
malitiam atque pravitatem re-
fert. Hic est enim velut alter
Goliath, quem nemo, nisi ma-
gno Dei munere atque benefi-
cio, prosternere valet. Ceterum
adversus hunc adeo potentem
hostem paupertatis virtus acri-
ter pugnat. Ille enim mollia,
dulcia, blanda, delicata, pre-
tiosa semper appetit: hæc con-
tra, ut ante diximus, ista hor-
ret ac fugit, & his contraria li-

benter amplectitur. Ut autem
hic amor his blanditiis fove-
tur, & majora in dies incremen-
ta capit: ita contra paupertate,
vilitate atque asperitate vi-
tæ, quæ paupertati conjuncta
est, minuitur atque dissipatur.
Atque ut delitiis carnis amor
sui; ita contra vitæ austeritate
sanctum sui odium generatur,
quod adversus amorem sui con-
tinenter bellum gerit. Utrius-
que autem commoda & in-
commoda Salvator expressit,
quum ait: (b) *qui amat animam
suam, perdet eam; & qui odit
animam suam in hoc mundo, in
vitam æternam custodit eam*.
Adde, quod quum præcipuum
amoris proprii instrumentum
pecunia sit, cui omnia obedire
Salomon ait, (c) sublata pecu-
nia, quæ cupiditatibus cunctis
fomenta ministrat, ipsæ quo-
que cupiditates paulatim defi-
ciunt atque languescunt. Ut
enim puerperæ ubera exsiccan-
tur, quum lactis fluxus impedi-
tur: ita cupiditates minuuntur,
quoties a concupitis rebus diu
arcentur.

Quid quod caro quoque
nostra, domesticus hostis, tan-
to ceteris perniciosior, quanto
nobis familiarior atque conjun-
ctior, evangelicæ paupertati
ce-

(a) Deuter. 33. 19. (b) Joan. 12. 25. (c) Eccles. 10. 19.

cedit? Tunc enim caro præci-
pue spiritui nocet, quum de-
litiis, epulis, molli stratu at-
que cultu fovetur, quum vino
madet, pinguique pabulo inso-
lescit atque superbit. At quum
evangelica paupertas omnia
cupediæ atque deliciarum
genera, quæ sunt irritamenta
luxuriæ, procul a se repellat;
non habet caro unde ferociat,
& vires contra spiritum colli-
gat.

Quid vero mundus? an &
ipse etiam paupertati cedit? Ce-
dit plane. Nam & is aliquando
blanditiis, aliquando litibus &
jurgiis pacem mentis turbat &
inquietat. Utrique autem agmi-
ni evangelica paupertas obfi-
sit, dum blanditias pariter &
lites a se procul abjicit. Omnes
quippe fere hominum lites &
contentiones, omnia jurgia, o-
dia atque dissidia ex his duo-
bus verbis, *meum, & tuum*,
ortum habere, sapientes homi-
nes ajunt. At hæc virtus, altius
animo infixæ, *meum* atque
tuum nescit. Neque enim pre-
tiosum aliquid sibi vindicat, ne-
que in alienas opes invadit,
quum suas etiam a se repudiet.
Hinc Afsisi episcopo annuos
reditus ad ordinis stabilimen-
tum necessarios esse disitanti,
vir sanctus respondit: si opes,

pater, habuerimus, armis et-
iam indigebimus, quibus eas
ab invaloribus & litigatoribus
defendamus.

Neque vero illud in postre-
mis habendum est, quod hæc
eadem virtus hominem a foedif-
simo adulationis vitio, quod
servilis ingenii est, magna ex
parte liberat. Adulatores enim,
spe alicujus commodi inducti,
divitibus adulari solent: qua
spe sublata, non est cur virilis
animus turpiter se alicui sub-
mittere & blandiri cupiat. Un-
de inter philosophorum apoph-
thegmata refertur, quod quum
philosophus quidam, qui paulo
licentius vitam agebat, philo-
sophum alium, parsimoniam
atque sobrietatis cultorem, le-
gumina quædam in cibum sibi
preparantem cerneret, atque
ad illum diceret: si Dionysio
adulari velles, ista non ederes:
ille contra prudentissime re-
spondit: immo si ista edere vel-
les, Dionysio adulari nolles.
Quo exemplo videmus, eos,
qui modico & parabili cibo,
pauperum more, contenti sint,
nihil habere cur divitibus adu-
lari velint, quum eorum opes
adeo non desiderent, ut etiam
contemnant.

Cernitis jam, fratres, quam
multi ac magni sint paupertatis
evan-

evangelicæ fructus. Cernitis, quanta fuerit beatissimi patris hujus sapientia, quamque merito is gloriari possit, se sanctorum scientiam assequutum. Quid autem hæc scientia sit, Salomon explicuit, quum dixit: (a) *scientia sanctorum, prudentia*. At prudentiæ est, agenda atque vitanda cognoscere. Quam quidem virtutem plenissime parvulus hic assequutus est, qui & divitias, & divitiarum cupiditatem summo studio vitanda, & evangelicam paupertatem flagrantissima caritate sibi esse amplectendam persuasit. Quid igitur vos ad hæc, fratres? An tot virtutis hujus perspectis fructibus, ejus vos vel amor, vel saltem admiratio non capit? An frustra hæc omnia a me in hujus virtutis commendationem dicta erunt? Minime vero. Nam & divites & pauperes haud vulgarem ex hac doctrina fructum percipere, si modo velint, poterunt. Divites quidem, ut sorte sua contenti cupiditati finem imponant, quum ea sit hujus morbi vis, ut nulla rerum copia minuatur. Deinde illud etiam maxima cura provideant, quod paullo superius prophetæ verbis admonuimus: (b) *divitiæ si*

affluent, nolite cor apponere. Hac enim ratione fiet, ut si minus corpore, at spiritu saltem pauperes sint, quemadmodum Abraham, David, Ezechias, ceterique sancti patriarchæ pauperes extiterunt. Ceterum qui vera corporis paupertate premuntur, dent operam, ut id libenter esse velint quod sunt, & necessariam rerum indigentiam grato animo ferentes, eam in virtutem vertant. Tales namque tanto sunt divitibus hujus sæculi feliciores, quanto evangelicæ sunt paupertati propiores. Sola enim voluntatis accessione, quod erat necessitatis, in naturam transit altissimæ paupertatis. Ex qua quidem virtute & hæc omnia, quæ enumeravimus, commoda percipient, & ipsum etiam paupertatis onus voluntatis adjunctione levius facient. Voluntatis enim propensio omnia gravia & onerosa, grata facit & levia. Nihil enim difficile, quod voluntarium. Hic est igitur fructus, quem ex hac tam longa paupertatis commendatione colligere licet, fratres: quem qui fuerit assequutus, thesaurum in agro absconditum, pretiosissimam margaritam, virtutum omnium seminarium,

(a) *Prov. 9. 10.* (b) *Psal. 61. 11.*

rium, & celorum regnum, pauperibus promissum, intelligat se es-
pertatis evangelicæ sectatori- se ejus merito assequutum.

* ❖ *

IN EODEM FESTO
BEATISSIMI FRANCISCI
CONCIO SECUNDA,

IN QUA DE VERA SAPIENTIA, QUÆ
in beatissimi patris Francisci vita præcipue eluxit, de-
que flagrantissima ejusdem caritate, unde
hæc sapientia manavit, differitur.

THE. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & novi scientiam sanctorum. Prov. XXX. 2. 3.

***ÆC sententia, fratres
* **H** * carissimi, quæ a Sa-
* **l** * lomone magno ver-
*** borum apparatu pro-
posita est, quamvis ad omnes
sanctos in commune pertineat,
qui, humanæ sapientiæ exper-
tes, divina sapientia, quæ sæ-
culi hominibus incognita est,
pleni fuerunt, tamen ad bea-
tissimum patrem Franciscum
ita spectat, ut de ipso singulari
quadam ratione dicta esse vi-
deatur. Tanta enim in eo sim-
plicitas cum tanta sapientia
conjuncta fuit, ut quum veris-
sima sapientia plenus esset, stul-

tus sæpe ab hominibus, atque
adeo a patre suo, judicatus, &
in vincula ab eo tamquam insa-
nus conjectus fuerit. De hac igi-
tur ejus clarissima sapientia,
quæ a singulari ejus caritate
manavit, hodie dicturi, cele-
stem opem, sacratissimæ Virgi-
nis interventu, suppliciter im-
ploremus.

AVE MARIA.

Stultissimus sum virorum, &c.
Vehementer hæc Salomonis
verba cum hodierna sancti ev-
angelii lectione cohærent: in
qua Dei filius superno patri gra-
tias agit, quod sapientiæ suæ